



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 20. Lutetia Parisiorum potestati Anglorum erepta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. XIX.

De rebus Gallia.

Sæcul. XV.

A. C. 1436.

Angli vires suas in Galliis ab eo, quo Atrebatensis conventus initus fuit tempore plurimum accifas, resque suas identidem in pejus ruere, probe perspiciebant. Parisienses enim Anglorum superbiam, eorumque avaritiam pertæsi, ac priscam, qua erga illos suæ Nationis Principes utebantur, comitatem ac liberalitatem recolentes, Anglos ulterius ferre haud poterant, sed anxie commodam jugum excutiendi occasionem querebant; qua & brevi potiti sunt; cum enim Angli apud oppidum S. Dionysii a Connestabili prælio devicti essent, Parisienses cives hac temporis opportunitate utendum rati, cum Victore de urbis, suorumque deditioe agunt, condonati criminis tabulas obtinent, & ampliori, quam sperare potuissent, favore aucti, necnon confirmatis eorum privilegiis, die Veneris post Pascha Connestabilem per portam Sancti Jacobi introducunt.

*Polyd. l. 23.**Meyer t. 16.*

§. XX.

Lutetia Anglorum potestati erepta.

Connestabili vix urbem ingresso, tota populi multitudo ad arma convolare, & undique in Anglos irruere, quorum

*Joan. Cart.**hist. Carol.**VII.*

Q 4

potissi-

Sæcul. XV. A. C. 1436. potissima pars in publicis plateis misere jugulata cecidit, reliquis ad arcem, quam Bastillam vocant, confugientibus; unde nonnisi conditionibus Gallorum votis oppido proficuis liberi evaserunt. Ita demum Parisiensis civitas in obsequium Caroli VII Regis legitimi sui Principis rediit, & fidem suam eidem denuo exsolvit, postquam in Anglorum potestate octodecim ferme annos hæssisset. Rex quoque mese Augusto supremum suum Senatam unacum Regiarum rationum Præfectis, & Academia Parisios revocavit.

§. XXI.

Dux Burgundiæ inglorius Caleti obsidionem solvere coactus.

Angli omnem iræ, ac odii sui vim in Burgundiæ Ducem effusuri, ejusdem terras invadunt, ac variis artibus subditos ad rebellionem incitant, qui aliunde non solum amplioris commercii spe lactati, sed etiam inveterato in Gallos odio ætate stimulati, majori studio Anglis addicti erant. Burgundiæ Dux injuriam ulturus, Caletum, quam urbem nullo negotio, & primo impetu se occupaturum credebat, admoto valido exercitu cinxit. Verum Flandri, cum obsidionem non modo diuturnam, sed expeditionis hujus successum prorsus periculosum prospice-